

§. XII. Vasculum cum Sale benedicendo, vel jam, ut dictum est, benedicto.

Similiter pro hoc Vasculo valet quodcumque dictum est supra, et indiget, ut saepe in eo sal renovetur, quia facile in Aquam dissolvitur.

§. XIII. Vasculum, seu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptismi fundendam super caput baptizandi; quod nulli praeterea alii usui deserviat.

39 De Cochleare multa dixit in meo *Schediasmate de Ar-
mis convivalibus* impress. ann. 1715. Quia ex cochleis nobilioribus antiquitus fiebant, cochlearia nuncupabantur. Hodie quoque nihil impedit quin ex Nautilo, vel concha margaritifera elaborentur. Tutior materia tamen est Argentum, vel stannum. Vasculum hoc simile debet esse Rudiculae parvae, ut Aquae sufficientem quantitatem in se contineat ad ministerium implendum, nec opus sit eam denuo implere, hauriendo e sacro Fonte dum Baptismus ministratur. Melius est, ut abundet in cavitate, quam in manubrio.

§. XIV. Pelvis, seu Bacile ad excipiendam Aquam ex capite defluentem, nisi statim in Sacrarium defluat.

40 Pelvis, seu Pelluis, quasi pelluvium a pedibus lavandis, catinus est ad hoc officium destinatus, et potest esse ex coctili materia. Diximus jam alio loco, non iterum esse adhibendam Aquam, quae uni ministerio inservivit, ad aliud, ob indecentiam, sed etiam ob periculum, ut cum Aqua consecrata aliud quoque commisceatur, veluti capilli, etc. Pro Catino aliqui habent immediatum canaliculum, a quo Aqua defluens perducitur ad Sacrarium Baptisterii.

§. XV. Gossipium, alio nomine Bombacium, seu quid simile, ad abstergenda loca Sacris Oleis inuncta.

De hoc Bombacio satis diximus §. 6. *Hujus Tituli. num. 22.* ideoque nihil superaddam.

§. XVI. Stolae duae, ubi commode haberi possunt, una violacea, et altera alba, ut infra notatur, mutanda, sin minus, una saltem adhibeatur.

41 Occurrit in hoc loco noster Textus penuriae Ecclesiarum non habentium duas Stolas varii coloris. Verum cum nimis scandalosa sit haec penuria, de raro tolerari debet; eam potius ex nimio Parochorum commodo provenire credo, qui nimium tempus insumere credunt, dum unam Stolam deponunt, et aliam assumunt.

§. XVII. Medulla Panis, qua innuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abstergantur, et vas pro manuum lotionem post Baptismum, quod huic tantum usui deservire decet.

42 Materia abstersiva est medulla panis, et multum decens ad hoc ministerium. In aliquibus Ecclesiis in usu vidi farinam ex Amygdalis tritis, quae et ipsa facultatem abstergendi habet. Meminerit Parochus hanc manuum lotionem necessariam esse post Baptismum, quia multa, et diversa tractavit, nempe Salem, Salivem, Oleum, Aquam, etc. quae omnia alicujus vel saporis, vel odoris vestigia imprimunt.

§. XVIII. Alba Vestis in modum pallioli, seu linteolum candidum Infantis capiti imponendum.

43 44 45 Vestis Albi coloris baptismali innocentiae convenit, ideoque rationabiliter de novo baptizatis praescribitur. Ut plurimum haec Vestis ab iis, qui Infantem, seu baptizandum perducunt ad Ecclesiam, defertur; et est strophium, seu sudariolum album, et novum, et quandoque reticulo textili redimitum juxta consuetudinem loci, et commoditatem Parentum. Sed dari potest casus, et plerumque datur, ob pauperiem dictorum parentum, quod sudariolum hoc non deferatur, et in Infantibus expositis hoc videmus passim. Tunc Paro-

chus promptum, et paratum habere debet linteolum, seu vestem albam ad hoc officium, et hoc est id quod intelligit Textus, qui non praecipit rigore, ita ut semper debeat Parochus adhibere proprium linteolum, sed quando alia vestis non adsit. Nec laudo usum Calanticae, (*cuffia*) prout vidi olim apud nonnullos adhiberi. Calantica est indumentum solius capitis in foeminis, non totius corporis, et Rubrica praecipit albam vestem in modum pallioli, seu linteolum, quibus Calantica nullo modo assimilatur.

46 An teneantur qui Infantem detulerunt, secum portare linteolum, et oblationem illius facere Parocho, nemo est, quod sciam, qui id affirmative asserat, adeo ut Parochus possit de jure illud patere. De consuetudine tamen est ut quisque illud deferat, exceptis casibus summae inopiae, et Infantium expositorum.

47 Solent nonnulli Parochi pro sudariolo, et candela pretium aequivalens in pecunia accipere ab iis, qui baptizandum deferunt: Meo videri, non bene sapit haec permutatio, quae licet spontaneae oblationi aequiparetur, tamen avaritiam aliqualem redolet: cum ipse, de jure, et ex praeepto Rubricae, teneatur praestare hoc sudariolum. *In sancto enim, quid facit Aurum?* ut Poeta ait. Verumtamen est, quod oblatum strophium a deferentibus baptizandum non debet illis restitui, eo quia rei tam sacrosanctae inservivit, sicuti neque candela, ut infra dicemus.

48 Sudariolum quoque, seu linteolum paratum habere debet Parochus ad tergendum caput Infantis post ablutionem, quod a Textu in hoc loco non assignatur.

§. XIX Cereus, seu Candela cerea, baptizato ardens tradenda.

49 Id quod supra diximus de linteolo, seu sudariolo, mutatis mutandis, et respective, dici potest de cereo, qui nec immutandus est in alium exigajorem, nec in jam pene consumptum, seu alias accensum; sed debet omnino adhiberi cereus ille, qui per deferentes baptizandum offertur, ne Parochus avaritiae nota imputetur: nec extinctus sit, sed ardens, cum id praecipiat, non sine significatione Rubrica, ut explicabimus in ordine baptismi Parvulorum suo loco.

§. XX. Hic denique Ritualis liber sit paratus, et idem liber baptismalis, in quo Baptizati describuntur.

50 De hoc libro multa diximus in praeliminaribus horum Commentariorum. Addo hic, debere esse promptum, et paratum talem librum, ut illum possit Parochus adhibere, et illum

legere, non autem memoriter recitare, (quod vetuit suo loco Textus) ob facilitatem errandi.

Rituale est liber habens vim legis, et ejus Rubricae obligant sub praeepto, Loter. *l. 1. q. 16. n. 123.* Menoch. *cons. 52. n. 145.* Gratian. *discept. for. c. 111. n. 7.* Sperell. *decis. 179. n. 22.* Clericat. *de extr. unct. dec. 66. num. 19.* In Bulla enim, quam Paulus V. anteposuit eidem Rituali, contestatur in eo esse comprehensos sacros, et sinceros Ecclesiae Catholicae Ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam Animarum gerunt. Ubi notandum est cum Clericat. *l. c.* Verbum illud *debent;* quod de jure importat necessitatem, et est praeeptivum, *l. saepe. ff. de off. Pres. Fagnan. in cap. qualiter, num. 37. de Cleric. non resid.* Non obstante quod in eadem constitutione Summus Pontifex dicat: *Hortamur in Domino, ut eodem Rituali in sacris functionibus utantur:* nam ly *Hortamur* prolatum a Papa in re gravi, habet vim praeepti, Fagnan. *ubi supra, num. 38.* potissimum quia constat de enixa ejus voluntate, dum ibidem in fine subdit: *Ut in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.*

52 53 Alter liber qui debet esse promptus, et paratus, est liber baptismalis, in quo Baptizati describuntur. De hoc cum aliis libris, qui penes Parochum adesse debent, erit sermo in fine horum commentariorum: Hoc tantum superest, ut dicamus, quod cum isto Libro parata esse debent Atramentarium, et Calamus aptus ad scribendum. Pro concilio addo, rem satis laudabilem esse, habere in fonte Baptismali paratum libellum parvum, et manuum, vulgo *Vacchetta*, in quo adnotentur Nomen, Cognomen, Parentes, Patrini, Parochia, atque alia necessaria, quae postmodum, tamquam e libro parvo Ephemeridum Parochus transcribit in libro magno ad hoc elaborato, qui cum aliis libris custodiatur in Archivo Parochiali, tamquam si codex, et tabula magistralis esset, neque amoveatur, seu conteratur, aut inungatur a nimio usu quotidiano, cujusmodi fiet de libello in fonte parato ad hoc, ut facile reminiscatur Parochus, seu Minister post collatum Baptismum registrare nomina, et cognomina, priusquam Infans, et Patrini ab Ecclesia discedant.

§. XXI. Omnibus igitur opportune praeparatis Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem, lotis manibus, superpelliceo, et stola violacea indutus accedat: Clericum unum, seu plures, si potest, secum adhibeat, superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent.

54 Haec omnia fient ob decorem Ministri, et Ministerii. Si stolam, et superpelliceum induat in Sacristia, in Sacristia etiam iis spoliabitur: laudo tamen, ut ad fontem accedat vestitus sine cotta, et stola; et illo aperto, se induat superpelliceo et stola, ibique infine, post administratum Sacramentum, se exuat. De Clericis sibi ministrantib. jam diximus in explicat. Tituli 1. §. *Adhibebit.*

§. XXII. Ita paratus accedat ad limen Ecclesiae, ubi foris expectant qui infantem detulerunt.

55 Ex hoc semper infertur quod extra fores Ecclesiae fieri debeat Catechismus, ut alibi diximus. Si Templa vero habeant Atrium, ut nuper aedificatum fuit in Cathedrali Ferrariae, de mandato, et expensis munificentissimi Antistitis sui Thomae S. Rom. Eccl. Cardin. Russi; ibi expectare debent qui infantem detulerunt: nec laudo ingressum in Ecclesiam ad expectandum Parochum, quia cum Infans nondum sit baptizatus, est extra Ecclesiam, et communionem fidelium, atque ideo indigne ad locum non sibi convenientem defertur.

§. XXIII. Interroget (nisi de his bene sibi constet) an sit suae Parochiae; masculus, an foemina: an sit domi baptizatus, et a quo, et quam rite; et qui sint compatres, qui Infantem teneant, pro eoque respondeant, quos pie ac decenter assistere, ac, prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes respondere admoneat.

56 57 Pro Parochis Ecclesiarum Dioecesis dicitur, ut quaerant, an Infantes sint suae Parochiae, quia in iis Ecclesiis fontes parati sunt ad baptizandos suos Parochianos tantum: Non vero pro Ecclesiis Civitatum hoc dicitur, quae fontem habere solent universalem pro baptizandis infantibus totius Civitatis et Dioecesis, ut mos est hic Ferrariae. Parochia enim dicitur locus, in quo degit Populus alicui Ecclesiae deputatus, certis finibus limitatus, et habet suum Territorium separatum, et divisum, Barbosa *de Offic. et pot. Paroc. cap. 1. n. 19. 21.* et Bellamer. *Cons. 38. num. 8*, ex quo infertur, quod quisque baptizandus sit in sua, cui subest, Ecclesia, nisi sit peregrinus, vel, certum non habeat domicilium, ut Zingari, qui sunt vagi, Barbosa. *ibid. c. 18. n. 7.*

58 Quare si alienus Sacerdos Infantem alienae Parochiae solemniter baptizaret sine licentia proprii Parochi, peccaret mortaliter, alienam sibi usurpans jurisdictionem; non tamen incurreret excommunicationem, vel irregularitatem. Barbosa. *d. cap. 18. num. 11. 12.* Atque hoc facile fit, ne confundantur jura Parochorum, et ne error oriatur circa originem personarum, cum maximo earumdem detrimento.

59 60 Oportet item, ut interroget Parochus, an baptizandus sit Masculus, vel Foemina, ut intentio baptizantis fundetur super vero, *cap. quamvis, c. solent, de consecrat. dist. 4. Hostien. de Fapt. §. quae sit, etc.* Necesse est igitur, ut Baptizans notitiam certam habeat naturae baptizandi, ut formula apta utatur, et illi accommodet verba propria.

61 Si per errorem quis baptizaret Foeminam credens esse Masculum, et e contra dubitant DD. an Baptismus esset validus? Affirmative respondet panimoll. *dec. 4. n. 7.* cum Clericis. *de Bapt. dec. 30. num. 7.* Contrariam vero opinionem tenet Zachias *in q. q. med. leg. t. 1. l. 7. t. 1. qu. 8. num. 9.* cum Petro Gerando a petra Sancta antiquo Jurisconsulto, *singul. 90.* Ego vero pro affirmativa parte sum, et ratio est: Vel Masculus, vel Foemina sit, semper est hic, et haec Homo; et Homo es subjectum Baptismi juxta definitionem allatam a Fulien. *de Sacr. c. 9. Baptismus est Sacramentum novae legis, ad regenerationem spirituales hominum institutum.* Et licet minister errat errat speculavite, non vero practice, dirigendo actionem suam in illam personam.

62 Inquirendum insuper est, an Infans domi fuerit baptizatus? et hoc ne Parochus Infantem rebaptizet, vel ut sub conditione iterum baptizet, vel ut suppleat ad ea, quae in Baptismo defuerunt.

63 Quinam sint Compatres etiam advertere debet Parochus, ut sciat an sint capaces suscipiendi Infantem, atque ut eos instruat de onere, cui subjacent post praestitum ministerium. Alia diximus in titulo de Patrinis.

§. XXIV. Et quoniam iis, qui baptizantur, tamquam Dei Filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur, curet, ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum; quorum exempla fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur.

64 65 66 Ex antiqua Ecclesiae consuetudine est, ut in Sacramento Baptismi nomen imponatur, quod olim, vigente circuncisione, in veteri Testamento, usitatum fuit, nempe, ut mutata religione, mutetur et nomen, juxta illud Psal. 15. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Idest, juxta explicationem Card. Valerii Episc. Veron. in ejus *Thesaurio piar. instit. pag. 209.* Sicuti in Ecclesia Christianorum mutavitur ritus Sacrificiorum, ut jam non offeratur aliquid cum sanguinis effusione: ita erit et mutatio nominum; ut qui prius nomina sortiebantur consentanea Religioni suae, sive Gentilismo, sive Judaismo, nunc habeant nomina Sanctorum, qui in Ecclesia virtutibus praecelluerunt. Bene igitur, et sapienter per nostrum Textum statuitur Regula pro imponendis nominibus iis qui baptizantur. Rationabiliter utitur Rubrica illo verbo; *Curet;* Quod rigurose non praecipit, Clericat. *decis. 44. num. 5.* Nam difficiliter in aliquibus casibus attendi potest. Omnes Doctores hoc inculcant, ut nomina honesta, atque sancta imponantur fidelibus, sed non per hoc tollitur, ne quotidie audiamus fideles per nomina extravagantissima nuncupari. Accidit enim quandoque, ut nomina sint haereditaria, et necessaria ad adipiscendam Bonorum haereditatem, juxta Textatorum dispositiones; atque ideo evitari non possit impositio talium nominum v. gr. Canis Mastinus, Butironus, Brutus, Floridaurus, Ulivus, Lucidaurus, Polixena, Marfisa, et similia quae in Catalogo Sanctorum non numerantur. Ideo juxta Sacrorum Canonum, et Conciliorum praescriptum, si Parochus advertat nomen Baptizandi non esse alicujus Sancti, benigne moneat illum deferentes, ut eo dimisso, aliud nomen proponant, quod sit alicujus Sancti, vel Sanctae, Bellet. *disq. Cler. p. 2. de poen. Cler. §. 32. n. 11.* Verum ratio ab hoc Doctore allata est satis frigida: affert enim ex Sacra Scriptura, praemium non esse modicum, bonum Nomen; sed Sacra Scriptura bono nomine intelligit famam, non nomen proprium personarum, dum dicit: *Melius est bonum nomen, quam divitiae multae,* Prov. 22.

67 68 Cum igitur Rubrica haec sit hortatoria, non praecipitiva, Clericat. *l. c.* observari debet pro loci consuetudine. Plura habebis diffuse scripta in hac quaestione a d. Clericat. *de Bapt. dec. 44. per tot. etc.* a Barbosa *de Offic. et potest. Paroc. cap. 18. num. 17.* Unicum hoc addam pro Corollario in hac materia: Mundum universum maximae amplitudinis esse; innumerabilis in eo fuisse, et ad huc extare Christi fideles: plurimos ex iis in Domino obiisse: quorum nomina in libro vitae scripta sunt, quamvis non nobis nota: ideoque difficillime dari posse, quod cujuscumque cogitabilis nominis Fidelis aliquis non inveniatur, qui cum Sanctis in Caelo non habeat habitaculum suum: quare nulla esse rejicienda nomina a baptizante ju-

dicarem, nisi vere ea, quae in contemptum Fidei Christianae sunt, et odiosa Ecclesiae, quae si vere imposita essent fideli alicui ob inadvertentiam, vel etiam ob malitiam, in acto suscipiendi Sacramenti confirmationis, quae complementum, et perfectio est Baptismi, Sarnell. *ep. Eccl. t. 4. ep. 38. num. 4.* posset in nomen Sancti immutari. Ita D. Gregor. Turonen. *lib. 5. cap. 38.* ait Sanctum Ermenegildum Leovigildi Gothorum Regis Filium, dum Chrismaretur, assumpsisse nomen Joannis: Hoc quoque vidi in praxi adimpletum a clarae memoriae Cardinal. de Verme, dum Sacram Confirmationem ministraret, nomen cujusdam puellae, quae *Venus* appellabatur in illud *Magdalenae* permutasse. Ad hoc ut evitetur profana nominum impositio, optimum concilium est, ut Martyrologium Romanum sit in promptu quandocumque quis baptizatur: ideo et haec quoque supellex annumeranda est inter res reponendas et servandas in Baptisterio, ad hoc ut facilius baptizans inquirere possit, an nomen imponendum baptizando sit vere alicujus Sancti.

§. XXV. His igitur expeditis, et accepto nomine baptizandi, positi, si infans fuerit, supe brachium dextrum illius, qui eum defert, Parochus ad Baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

69 Accipitur a Parocho nomen, ut nominatim interroget illum, ut infra, et sciat quomodo latino idiomate pronuncietur (latino enim sermone interrogari debet) in proprio casu vocativo.

70 Ad commodiorem usum praecipitur ut suscipiatur Infans super brachium dextrum, quia hoc modo ministrans Baptismum facilius operatur, Insuper pars dextra est nobilior sinistra, et res sacrae omni nobilitate, et decencia pertractandae sunt; unde Sponsa ait: *Dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2.